



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eo qui per ignorantiam ordinantur antequam baptizetur. c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

pi, quoniam de suo ordine & cōmunionē videbitur ferre iudicium, quisquis hoc violarit antistitum: vel qui non remouerit eum quē ex his ad ministerium clericale obrepisse cognouerit, Curandum verò maximè, & omni cautela est prouidendum ne quis fratrum coepiscoporumq; nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius ciuitate, vel diocesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui conciliatum se esse dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio & literis, aut in parochia presbyter, aut episcopus in ciuitate, suscipiat. Quòd aliqua dissimulatione neglectum, culpam tangit etiam clericorum, qui in locis in quibus hoc minus curatum fuerit commorantur. His itaque ritè dispositis, & ad Ecclesiarum uestrarum noticiam, nostra deliberatione perlatis, parere vos conuenit. Quibus licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui noui aliquid, & quod prætere nos potuit fuerit reuelatum, secundum beatum Paulum apostolum tacente priore fidenter insinuet: quia spiritus sanctus ubi vult spirat, maximè cum sua causa tractatur. Nec nos pigebit audire, & si qua sunt omissa non arrogàter abnuere, sed rationabiliter ordinare. Datū Iduum Martiarum die, Dynamio, & Sibidio quartum consulibus.

*De eo qui per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur.* Cap. C.

SI quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati baptizari, & ipse non ordinetur, sed Romanus potifex iudicat non hominem qui baptizat, sed spiritum Dei sub ministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.

*De illis qui gratiam sancti spiritus vendere conantur.*

Caput C I.

DICTUM est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari: solere quoque pro baptismi & communionē. Hoc symoniacæ hæresis semen detestata est sancta synodus, & anathematizauit, & vt de cetero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, vel baptismi, vel pro balsamo, nec pro sepultura, vel communionē, quicquam exigatur: sed gratis dona Christi, gratuita dispensatione donentur.

Finis Libri Quarti.

R iiii.

*Ex dictis S. Isidori episcopi.*

*Ex conc. Triburē. cui inter fuit rex Arnolphus, cap. 22.*